Quæstio Medica Quodlib. disput. agit. In Sch. Med. die Jo. 18 Janu. D. Guillel. Cappel D. M. mod^re^ prudentiss.

An lithiaseos Renum, et Vesicæ eadem curatio?

Ut renes dicati attrahendo sero, alimenti vehiculo, sudoris et lacrimarum materia, per ureteres in subditam vesicam, urinæ expellunt, sic universi corporis excrementa una prompte suscipiunt: quo fit ut sæpe obstruantur à crassis humoribus, arenulis, et calculo: qui multis quidem in locis, sed maxime in renibus et vesica concrescit. Cuius causa materia-lis est crassus humor et viscidus, efficiens calor, qui tenui parte absumpta, reliquum exiccat, atque aliud agens, veluti incrustando in arenulas, coagmentandas in calculum glutinis opus: concausæ vero sunt, loci opportunitas, eorum debilitas, meatuumque constrictio, aliquando latitudo et laxitas, fluxus in eos imbecillis, humoris diversitas, pituita fibrosa antiqua bonorum [illegible], calculosa [illegible] constitutio hæreditaria, repulsioris [illegible] à frigore, quod statuere tantum in corpore quo [illegible] ad calculi generationem congelari posse pituita, absurdum: sic rudimentum suum in vesica, à renibus profluens, non negandum. &c.

Hinc fit ut quibus substantia renum magna, compacta pinguiosa est, si ipsorum vero salubrium usum contemnant, ad calculum propensi sint, qui pueri et macilenti sæpius in vesica concipiunt (quanquam et renum natis reperitur) ætate provecti et corpulenti, frequentius gestant in renibus, quorum tamen ulcera minus maligna sunt, quam vesicæ, faciliusque curantur. Utrique illius generationi minus erunt obnoxii, si propriis remediis causas oppugnent, à cruditatibus abstineant, immoderatum [illegible] lactis et casei, ovorum tostorum, fungorum, crustaceorum, piscium, et salsamentorum, externarum partium animalium aliorumque lacti et duri succi usum devitent, vini generosi multi et frigidi potum, et quæ plurimum nutriunt, urinam diutius non contineant. In exercitiis denique et Veneris mediocritatem servent, quæ et ante cibum noxiores humores dissolvunt; ~~In vesica~~ ita post eum cruditatem morborum radicem pariunt. &c. &c.

Notis vero et communibus, sic propriis discernendi utriusque affectus, inter quæ urinæ (quæ nullum eorum concretionis signum ostendunt) distantes et turbidæ, modo tenues et aquosæ, modo rubræ, cum [illegible] arenularum, declarant calculum, vel in ventriculis renum seliari, vel in profunditate turbinari. Illum autem formatum produnt, in renis dolor gravis: qui ut sumpto cibo, vel alvo constricta augetur, ita vomitu, aut fæcum exclusione mitescit; cruris eiusdem lateris torpor, difficilis lumborum inflexio, sanguinolenta urina; in vesica vero conclusum esse testantur, pubis gravitas, pruritus ad extremum pudendum, mulieribus minus quam viris familiaris; frequens ac inanis mejendi desiderium, et dejiciendi cupiditas, urina non pleno fluens rivo; verum nulla fides certior, quam ubi catheter grandioribus in vesicam, vel digito, pueris in anum immisso, calculus deprehendatur. &c. &c.

Ac veluti inter ætates pueri et senes, magis quam florentes, fiunt calculosi: usque à quadragesimo secundo anno, ad sexagesimum tertium, neque lapis in vesica, neque strumæ incipiunt, sic et temporibus anni, hyemis et autumni calculo gravando (quem in vesica contentum non semper nephriticus dolor antecedit) sunt opportuna, rariusque et mulieres quam viri tentantur, ut ceteris morbis hæreditariis tardius, è quorum numero authoribus est, calculi nonnunquam succedanea. Itemque nephritis, quem sæpe insequitur coli, uteri, et vesicæ dolor, nec non raro consequitur tabes dorsalis. Sed et qui aquas originarias, stagnantesque ac turbidas, potant, eorum affectionibus sunt additi, urinæque stillicidio, [illegible] consueto magis, quam hydrops ad matulam: ut epilepsia et fluxus alui pueris, magis quam apoplexia, et spirandi difficultas, [illegible]. &c.

Calculus igitur multiplicis generis colores, et figuræ morbus, si cum dolore nephritico coniungatur (quem sæpe fingit pus, fomes carnicula) inde ventris torminibus dilacerantis, vomitusque excitantis, primum mollientibus atque anodynis clysteribus utendum; deinde ad propriam curationem devenien̄dum, quæ non symptomati sed morbo debetur, nec prius adhibitur, quam vel purgatione, non æstimanda vacuatorum quantitate sed qualitate et facili ægrotorum tolerantia, vel vena sectione, sæpe in eorum directo, sit toti corpori consultum optimeque procedit corporis et humoris præmissa præparatione. Quæ renibus infixa est materia, diureticis evacuanda, non omissis lithontryp-ticis, utraque facultate agentibus, et malacticis, refrigerantibus aliquid roborantibus admixtis. quæ quia vix integris viribus ad vesicam perveniunt, sic si ea lapis pervertiam prodire nequeat, injectionibus, fotibus, balneis est insistendum, quæ nisi proficiant, tota spes curationis ad lithotomiam alterutram et vesicæ dilacerationem, pueris et mulieribus tutiorem, senibus dubiam est referenda.

Ergo Lithiaseos Renum, et Vesicæ non eadem Curatio.

Deffendebat Henricus Viscotius Ahemus. 1582.

Dⁿⁱ Doctores disputaturi.

M. Joannes Haultin.	M. Jacobus Marant.	M. Michaël Marescot.
M. Sulpitius Rigault.	M. petrus De la Mer.	M. Philbertus Laudenot.
M. Joannes le Pescheur.	M. Claudius Rebours.	M. Guillelmus Cappel.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE